

108

O. A. M. D. G.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,
DE

USU ET ABUSU SPIRITUS VINI,

Von

Brauch und Mißbrauch des Brandteweins/

QVAM

AUSPICE SUPREMO NUMINE
CONSENSU INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ
ET PRÆSIDE

DN. JOANNE FRIDERICO
DE PRE,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, ANATOMIÆ, BOTANICIS ET CHIRURGIAE PROFESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICÆ ASSESSORE ORDINARIO & p. t. DECANO, NEC NON CIVITATIS ERFORDIENSIS SENATORE,
PATRONO, PRÆCEPTORE ET PROMOTORE SUO ÆTERNUM OBSERVANDO,

IN PERANTIQA ET ELECTORALI UNIVERSITATE HIERANA

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA SOLENNI MAJORUM RITU IMPETRANDI,

PUBLICE VENTILANDAM PROPONET

IOANNES PHILIPPUS HENCKELL,
ERFURTENSIS.

DIE MARTII. M DCCXX.

IN AUDITORIO COLLEGII MAJORIS HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Academiae Typographi.

Diaetet.
160,54

Diaet. diaet.
200

*PRÆNOBILIBUS, AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS,
CONSULTISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS VIRIS ET DO.
MINIS URBIS DUDERSTADIENSIS*

**PRÆTORI, CONSULI
ET SENATORIBUS.**

- D. Joanni Henrico Drefanus.
- D. Joanni Henrico Klinckhardt.
- D. Georgio Ignatio ab Horn.
- D. Andreae Hertvich.
- D. Joanni Henrico Hillman.
- D. Bartholdo ab Hagen.
- D. Joanni Bartholdo à Sothen.
- D. Joanni Döring.
- D. Hervvico Davidi à Sothen.
- D. Andreae Georgio Kersten.
- D. Joanni Henrico Hesse.
- D. Friderico Behle.
- D. Theodoro Behle.
- D. Martino Köhler.
- D. Joachimo Friderico Hermen.
- D. Herwico Rudolpho Eickemeyer
- D. Joanni Hervvico Rhode.
- D. Jodoco Hervvico Keysenberg.
- D. Hervvico Heilandt.
- D. Joanni Henrico Bartholdt.
- D. Bernhardo Nicolao Holtzborn.
- D. Jodoco Henrico Eickemeyer.
- D. Jodoco Adriano Sponsail.

**PRÆNOBILES, AMPLISSIMI, CLARIS-
SIMI, CONSULTISSIMI, ET PRUDENTISSIMI,
VIRI AC DOMINI.**



*I*hesibus meis audeo me ibi sistere, quo
vota parentis mei jam dudum præ-
volârunt: Exoptat is, ut sub Binis
Leonibus Civitatis Duderstadiensis
Insigniis prodeam non in amphitheatrum cum
athletis vel leonibus decertaturus, sed cum Pal-
lade loricatâ, Hygeæ filiis disputaturus. Leo
apud Ægyptios fuit symbolum vigilantia, hinc
solent in frontispiciis templorumque portis collo-
cari: Leo Rex animalium parum dormit, aut
si dormit, oculis is dormit apertis, ut vigilare
se fingat; Jubati excubabant Leones ante thro-
num Salomonis; ita vos salutis publicæ incre-
mento invigilatis, vigiles vobis dat curia curas,
consulta patrum conservatis, dum ad gubernacu-
la rei publicæ sedetis, & fasces honorarios ge-
statis,

statis, verbo patriæ consulitis. Prudentia & Justitia duo curiæ vestræ Leones sunt, his velut togati Latii sapientes custoditis leges & Jura patriæ: Unguis Leonem prodit, quem in nullum acuit, nisi sponte lacesitus, vos cives devotos tuemini, insolentes Justitia vindicativâ corrigitis;

Ut Leo terrefacit tumidos, humilesque tuetur,

Hoc pariter præstat vester uterque leo.

His leonibus munitus, non despero de victoria, si hi rugiant, opponentium argumenta obmutescant. Suscipite igitur eo, quo soletis omnia, vultu has laboris mei primitias, sudoris scholastici electrum, quod coagulavit industria, consolidavit constantia, devovit pietas ceu debitum submissionis meæ obsequium, quod ad dies vitæ continuaturus sum. Vestrum,

**VIRI ET DOMINI PRÆNOBILES,
AMPLISSIMI, CLARISSIMI, CONSULTISSIMI
ET PRUDENTISSIMI**

Servus devotissimus, obsequiosissimus

JOANNES PHILIPPUS HENCKELL,
Erfurtensis.

PRO-



PROŒMIUM.



Ulla res tam nobilis, nulla tam excellens, in qua non possit fieri excessus, vel notari defectus; quam facile potest accidere excessus in rebus non naturalibus. V. g. aëre, cibo & potu, motu & quiete, somno & vigiliis, excretis & retentis, animi affectibus; omnis excessus vitiosus, omne nimium vertitur in vitium: Laudatur usus, tollatur abusus. Quantum emolumentum corpori humano accrescat ex moderato vini usu, nullus est, qui contradicet, vinosa illa ambrosia debilem ventriculum reparat, digestionem innovat, chylum qualificat, spiritus restaurat; verbo totum hominem suaviter affi-

A 3

cit;

cit; Hinc cum anus quædam meribibula Lena viderat epotam amphoram, a vidis naribus odore factis attracto dixit: O svavis anima, quam te dixerim bonam ante fuisse, cum tales sint odoris reliquiæ, sed abusus hujus nectaris vel maximè noxius; nimis enim largiter sumptum vinum mors memoriæ est, causa tremoris est, iræ rixæque pater est, & rectam tollit de vertice mentem. Quid præstantius multis in officina spiritibus? quid pretiosius oleis balsamicis? quid delicatius moscho & ambra? sed & excessus in istis licet in se pretiosis post se plurima damna trahit: **Man kan auch dem Guten zu viel thun.**

Ut multa alia silentio involvam, quanto sit detrimento abusus spiritus vini, & quanto è contra emolumento legitimus ejus usus, in dissertatione hac excutiemus; valet hic illud poëtæ: *Usus habet laudem, crimen abusus habet.*

§. I.

Spiritus vini usus nominalis.

Spiritus vini in sensu proprio & stricto est subtilissima & maximè volatilis substantia ex vino nobilissimo vitis succo, vel fæcibus ejus per gradus ignis elevata ad varios usus adhibenda.

Spi-

Spiritus autem vini rectificatus dicitur ille liquor Alcohol, qui ex elaborato spiritu vini destillatur, & ita sublimatur, ut relicta omni terrestreitate, deposito omni impuro humore, verbo ab omni phlegmate purus profluat ex alembico.

Propter præstantes virtutes & operationes insignes variis nominibus salutatur: His ens subtile dicitur, tantæ volatilitatis est, aliis oleum vini resolutum, eò quod ejus legitimus usus oleum vitalis flammæ redintegret; istis vocatur thesaurus & aqua vitæ, tantæ in vita conservanda activitatis est; Ros solis pluribus audit, cum attritas longo tempore vires irroret, & irrorando restauret; multis nominatur balsamus universalis, quo viscera corporis inuncta à corruptione præservantur; aliis genuinum resolvens, cæleste menstruum, quo concentrata vegetabilium, sulphuris & resinarum subtilium energia in hominis usum resolvitur. *Raymundo Lullio* primo hujus sublimati liquoris authori, à quo spiritus vini Lullianus dicitur cælum æthereum vel aëreum ex igne & aqua conflatum, alii appellant circulatum *Paracelsi*. Quia tot circulationis anfractus per alembicum circumeravit, antequam in tam subtilem substantiam in lucem prodiit; multis dicitur sulphur cæleste, bezoardicum vegetabile, clavis philosophorum, equus poëtarum, quinta essentia vini, vim siquidem concentratam habet, quam vinum diffusioem, sed plurimis usitatori nomine dicitur vinum igne eliquatum, aqua ardens germanicè *der Brandtwein*.

§. II.

§. II.

Spiritus vini abusus nominalis.

Sub nomine spiritûs vini in tabernis vinariis variis veneunt liquores: sic improprie & abusive spiritus vini **Brandwein** dicitur omnis iste liquor, quicumque vel ex baccis juniperi & sambuci, ex semine anisi & fœniculi, ex pyris & pomis, prunis & cerasis, aliisque fructibus horti, vel ex filigine & hordeo, spelta & avena, cæterisque frugibus campi præviâ maceratione & fermentatione absque additione vini destillatur per vesicam: spiritus illi quidem sunt, sed non spiritus vini, nec enim ex vino vel fœcibus vini sublimati sunt, & multo diversi quo ad effectus ab aliis spiritibus, quos præter recensita ex variis nescio quibus recrementis laboriosè extorquent, exempli gratia ex cerevisiæ fœcibus interveniente fermentatione spiritus ardens elicitur, qui cum ob gravitatem phlegmatis in ipso concentrati sufficienter exaltari non possit, illud remanens acquisitâ acredine quam plurimum nocet, & potius tales liquores **ein Füssel-Wasser** dicendi sunt, quam quod tam specioso & spirituosissimo aquæ vitæ titulo gloriantur: præstent licet spiritus ardentes alii in laudabili usu effectum suum materiæ ex qua conformem; promoveat spiritus baccarum juniperi calculosam ex renibus & vesica saburram, phlegma sabulosum: exterminet corporis pomæriis spiritus baccarum sambuci excrementitias humorum quisquillas per udorem & sudorem, aliamve transpirationem insensibilem: expellat œconomia animali
spi-

spiritus ex semine anisi sordidos intestinorum hospites, & carminet flatulentos abdominis inquillos. paulo post in exilium proscribendos: consoletur spiritus feminis fœniculi afflictum pectus, pituitam resolvat in pulmonibus, congestosque infarctus attenuet, atque reliqui spiritus materialis suæ originis virtutes æmulentur, spiritus ardentibus & vinosi sunt, spiritus tamen vini non sunt.

§. III.

Spiritus vini anatome chymica.

Si hæc quinta essentia vini analysi chymicæ subiciatur, eam deprehendemus resolvi in particulas oleosas, sulphureas & salinas tanquam principia ejusdem constitutiva, ex salium enim & sulphuris mixtura & temperatura hic spirituosus & volatilis liquor componitur. Sal volatile ex eo demonstratur, quod spirituosæ ejus effluvia cum aëre elevata, ibidem nervos olfactorios titillantia odorem excitent, & in fibrillas nerveas linguæque papillas se insinuando saporem inducant: sulphur oleosum spiritui vini inesse arguit ejus inflammabilitas, ubicunque autem materia est inflammabilis, ibi sulphur est seu oleum; si particulæ oleosæ sulphuræ fluorem adipiscuntur, exsurgunt spiritus inflammabiles tanquam medium quid aquam inter & oleum, sed clavis solutionis & influorem reductionis est fermentatio; hinc quoque fit, quod spiritus ardens à phlegmate purus, quem chymici alcohol nominant, etiam in maximo frigore ob subtilem naturam sui sulphuris & salis volatilis non congeletur.

B

tur.

tur. Salinae particulae salis manifestè eruuntur ex sapore satis mordicante, quidquid sapit, particulas salinas in sinu & recessu habet, sal est origo saporis. Nec caret particulis aquosis, si spiritus vini nec dum est rectificatus, quò magis enim is est alcoholisatus, eò magis phlegmate deposito à particulis serosis est purificatus, quo plus aquae seu phlegmatis spiritus iste tenet, eò minus est aptus ad inflammationem.

Quid quod spiritus vini quatuor elementa brevi compendio in se concludat; aërem repræsentant particulae volatiles naturæ aëreae, ignis inest particulis oleosis inflammabilibus, terra in salinis gingivarum epidermidem afficientibus, aqua denique latet in phlegmate.

QVÆSTIO.

Ex quo principio spiritus vini fit narcoticus,
& somnum inducat?

Qui vinum vinique faeces manu chymicâ tractant, experiuntur, illud non tantum subtili, penetrante & volatili spiritu turgere, sed etiam spiritum ex vino vinique scoriis elicitedum moleculis narcoticis non parum scatere: in sulphure enim vaporoso & oleo præcipua vis anodyna seu spirituum condensativa symbolica consistit; experimento constat, feles aliaque animalia spiritu vini ad cochlear unum alterumve infuso, quasi opio dato indormiscere, atque subinde mori. Spiritus vini sulphure suo narcotico cerebri oras percellit, & stupefacit, unde gas suo fuliginoso secundum modum loquendi Helmontianum spirituum undas inquinat, ligat, & poros obstruit, vel ideo somnum conciliat spiritus vini, quia particulas viscosas exagitat, quæ liberum spiritibus transitum denegant,

negant, & sua viscositate impactâ obstructiones pariunt, Sententiæ nostræ accinit *Ovidius*, dum canit: *vina quies sequitur*: nec abludit *Tibullus*, dum parem chordam tangit: *Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert.*

§. IV.

Spiritus vini usus mensalis & culinaris.

Quibus virtutibus vinum excellit, vini productum gaudet iisdem, qualis erat vinosus pater, filius talis erit: Vinum, quod est liquor ex uvis maturis expressus, & viribus per fermentationem acquisitis nobilitatus hominum potui destinatus est, vinum inquam, sive ferveat in pateris *Chium*, sive spumet in poculis *Musficum*, rubeat in crystallo *Lesbium*, flavescat in vitro *Malvaticum*, nigrescat in cratere *Hispanicum*, semper colore arridet oculis, odore placet naribus, amabili sapore blanditur linguæ; vinum recreat convivas, nam vita & anima conviviorum est. Vinum lætificat cor hominis, nam se in omnes partes ob particulas spirituosas diffundit, viresque corpori subministrat; vinum spiritus fatiscentes ob moderatum calorem restaurat, mærorem tollit, hinc dicitur in sacris: vinum date mærentibus; vinum curis excusis lætitiâ invehit, idcirco etiam libertatis symbolum ab effectu dicendum est, eò quod animos curis liberet, mæstitiæ vincula solvat, ut non immeritò *Bacchum* etiam synonymicè *Liberum* dicant. Hinc *Evax*, ait vinosus bibo apud *Horatium*, huc cyathum puer, nunc est bibendum, nunc pede libero pulsanda tellus: Hinc *Horatius* accinit potatoribus, vinum levat omne

malum, & docuit sollicitas fallere curas; & *Ovidius*,
vino cura fugit. Hæc omnia præstat spiritus vini, in
illis proinde regionibus, ubi mera bibitur cerevisia,
solent in conviviiis & popinis præsentari vitra vinoso
plena liquore, quæ circulariter ambulant in mensâ, ut
hic spiritus vini non tam concurrat ad digestionem
ciborum facilitandam, cruditates alimentorum resol-
vendas, quam ad excitandam majorem in convivio
alacritatem, & in popinantibus hilaritatem. Imo hoc
tempore usu receptum est, ut in mensis magnatum
ad cibos frigefactos iterum recalefaciendos ampullæ
spiritu vini rectificato instructæ collocentur. Quan-
tum ad usum culinarem.

Apitiani nepotuli *Coquinii*, *Abdominii dendati*
Placentarii Carpi, *Lucones* sapidissimi nutrimentis stu-
dentes infinita ferè excogitant cum vino pulmenta,
adornant lautas epulas, parant embammata. Ita pa-
riter spiritûs vini usus frequens esse solet in culinis.
Ubi ex polline niveo, saccharo & spiritu vini effingunt
crustula, pinfunt placentulas, formant bellaria, aliaque
incoquunt edulia, ut delicatorem palatui inser-
viant.

§. V.

Spiritûs vini usus Mechanicus & curiosus.

Varii artifices & mechanici spiritum vini in u-
sum vocant, præsertim pictores, scriniarii & sculpto-
res, qui præparando vernice elegantiori in illinenda
picturis sandaracina gummitione utuntur, v. g. *R. Mast.*
Sandarac aa. ʒj. Gum. lacc. ʒß. V opt. ʒiß. vel R. Gum.
lacc.

lacc. ℥ij. Gum. gutt. ℥ij. Syr. ℥ij. M. solv. exprim. poneque in loco calido signet. Gold Ferniß. vel Rz. Gum. sandarac. Mastich, elemi. aa. ℥ß. Camphor. ʒj. omnibus benè pulverisatis adde Syr. ℥iij. digere in loco calido: in coquendo glutine fortiori, sic floribus in herbario vivo agglutinandis R. Extr. absynth. ʒj. Gum. arab. ℥ß Spir. Vin. q. s. In fractorum vitrorum reparatione ubi ichthyocola in spiritu vini soluta illinitur vitro, & consolidatur fractura. Cæterum in spiritu vini incorrupti conservantur embryones, animalcula, fructus, omni enim putredini ob naturam penetrantem & moleculas balsamicas felicissime resistit, & quis omnes usus mechanicos & ludicro-curious enarrabit; sic beneficio spiritûs vini cum camphora mixti si chartæ pergamenæ tæniolæ eâ mixturâ illinantur & accendantur, videntur serpentes ignei, item R. P. Schottus curiosissimus naturæ ruspator docet in scenis præsentare fulgura & coruscationes magmate facto ex sale sulphure naphtha, camphora & spiritu vini. Curiosum est, quod legitur in historiis, quod Princeps ad mortem damnatus concessâ de specie mortis optione voluerit in haustu spiritûs vini, vel in aromatici vini dolio vitam extinguere, ut casus acerbitatem leniret naufragii suavitas.

§. VI.

Spiritus vini usus chymicus.

Spiritus vini fere menstruum universale chymicorum est, hic spiritus utpote oleum vini solutum oleosa gummata aggreditur, & ut medium resolvens re-

B 3

rum

rum virtutes extrahit, unde spiritus vini regno vegetabili affusus varia ex herbis & floribus prolicit tincturas, diversisque tingitur coloribus; hic spiritus ambram, opium, camphoram aliasque resinas dissolvit: sed spiritus iste non omnia solvit, sal, saccharum, sulphur non aggreditur; ex hoc spiritu varii conficiuntur spiritus, v. g. *anisatus, menthatus, anthosatus, absinthites, spiritus cumini, citri cerasorum nigr. lil. convul. Th. dulcis*, qui *Paracelso* balsamus naturæ est. Item ex spiritu componuntur innumeri spiritus, essentiæ variæque tincturæ. v. g. spiritus vini purgans. *Rz. mag. jalap. gr. xij. Spir. cerasor. n. zij. Julebi rosat. vel violac. 3ß. Misc. pro dosi.* Sic Ros solis de Persico *Rz. nucl. persic. q. s. affund. Spir. Vin. mens. j. stent in infusione, destill. ad ½ij. Rz. hujus spir. ʒij. adde sacch. canar. in aqua rosar. solut. ʒij. ad edulcorat. filtra.* Item Ros solis de Turino conficitur, *si spir. vini non rectificati ʒiv. add. ambr. gryf. ʒj. mosch. 3ß. soluta prius Spir. ros. confect. alkerim. 3ß. sacch. alb. in aqua rosar. solut. q. s. hæc simul confundantur, agitentur, digerantur & filtrentur.* Sic pro conficiendo cosmetico paratur spiritus pro lacte virginis conficiendo, quando *Benzoe & storaci aa. affunditur spir. vin. rect. pars iiij. vel vj.* Si chymici ex tempore parare velint *sal volat. oleos.* Spir. vini summè alcoholisato guttas aliquot oleorum aromaticorum instillant, non innatant illæ guttæ spiritui vini, sed protinus ab eo absorbentur, & olea abeunt *in sal. volatil.*

QVÆ-

QVÆSTIO.

An vinum & spiritus vini conducant
Ingenio?

Quantum Ingenio proficuum sit vinum, ut nihil ego meis verbis adducam, ne ultra fidem aliquid effari videar, trium præstantissimorum medicorum, qui paulo ante nostra tempora floruere, testimonia ex fontibus Galeni hausta exhibebo. Primus *Guilielmus Gratarolus Bergomas* sic de vini natura scribit. *lib. 1. capt. 2.* Si temperantia in vini usu adhibeatur, cerebrum purgat, spiritus sopitos vivificat: Facundissimus vir *Georgius Pictorius* affirmat, vinum hominis mentem serenare: *Joannes Curion*, non vulgaris doctrinæ & experientia Medicus ex *Avicenna*, vini utilitatem in ingenio affert, cerebrum purgat, excitat intellectum. Vina, ait poëta, parant animos, & facundiam vinum conciliavit *Homero*; facundi enim calices quem non fecere facundum; hinc vinum est Hippocrene unicus ille liquor, qui stupendos efficit vates: id circo *Ennius* nunquam se accingebat scribendis carminibus, nisi multo mero madidus; unde illud: *Ennius* ipse pater nunquam nisi potus ad arma profiliit dicenda. *Æschylus* quoque nisi benè potus ad tragædias exarandas experiebatur raptus & enthusiasmos. Vinum equus poëtarum est: Cum *Camillus Quernus Archipoëta* dictus apud *Leonem X. Summum Pontificem* de se gloriabatur hoc versu:

Archipoëta facit versus pro mille poëtis;
Suggestit *Leo*

Et pro mille aliis Archipoëta bibit.

Ovidius in exilio pontico vino destitutus de se conqueritur:

Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis esse solebat, abest,

Et

Et alius febricitans:

*Jam lymphâ miscere merum sum febre coactus,
Carmina nunc vino convenienter erunt.*

*Diluto diluta puta mea carmina vino
Respondere valens vividiora dabo.*

Alias easque quam plures narrat laudes vini vinosus *Ho-
merus*. Hæ ingenii acuendi virtutes quidni spiritui vini
applicandæ, si cum grano salis & temperatè sumatur,
cujus causa vinum est, ejus etiam causa esse poterit
quinta essentia vini, sed vide, ne quid nimis, & medicè
& modicè spiritus iste juvat.

§. VII.

Spiritus vini usus Medicus.

Ut vinum digestionem juvat utpote liquori ga-
strico amicissimum; ideo ex itinere delassatos, labo-
ribus fractos, nimiâ Venere enervatos in momento
reficimus, si eos medico vini haustu lactemus, hæc
eadem efficit spiritus vini moderate sumptus: vino
non tantum ut alimento, sed & ut medicamento uten-
dum, ita spiritus vini methodicè & diæteticè lauda-
tur in medicina. Prodest hujus spiritus usus in foro
medico, si aura catarrhosa, aër nebulosus fætidisque
effluviis conspurcatus, si tempestas perfrigida, & ex-
halationes putridæ id suadeant, si aquæ insalubres bi-
bantur, vel alimenta insalubria ingerantur, sic cere-
visia simplex cruda minùs probè defæcata sine fine
& vino ingurgitatur, ibi cochlear unum vel alterum
cibis & potulentis superbibatur, vel potius mica panis
hoc spiritu imprægnata deglutiatur, ut postmodum
spiritus se hoc compede solvens soletur ventriculum,
suamque energiam in rugas & plicas stomachi blan-
dâ

dâ resolutione factâ successive exerat, & simul & semel acri violentiâ aggrediatur, liquoremque gastricum amicè afficiat, sic digestio promovebitur, cruditates nidorosaë præcavebuntur, & ex chylo laudabiliter elaborato bonus sanguis, ex sanguine puri spiritus, & ex his frequentiori postmodum circulatione sublimatis legitimæ actiones consequentur. Vinum modicè sumptum balsamus naturæ & debilis ventriculi panacea est, uti *Paulus Timotheum* suum hortatur, ut hoc liquore debili ventriculo succurrat; item hoc præstat spiritûs vini legitimus usus; malè faciunt, qui manè jejuno & evacuato stomacho spiritum vini adustum infundunt, qui, cum nullas ciborum reliquias in hospitio offendat, acrimoniâ suâ salinâ intimam ventriculi tunicam aggreditur, & suis volatilibus particulis accendit Spiritus, eosque temulentiâ obruit, vel substantiâ suâ vaporosâ supprimit, ut homo sub tali abusu somnolentus, & ad altiora negotia ineptus, & tetricus fiat, ac sensim sine sensu omni appetitu destituatur: malè reformido, ne talis spiritus vitæ sit mercurius mortis, & aqua vitæ aqua stygia. Sicut multi præsertim apud Gallos Bacchi vires Neptuno infringunt, ne vinum noceat; vinum enim potens, vinum nocens, vinum temperatum vinum gratum. Dum vinum aquâ diluis, vinum quidem perdis, & si non diluas, vinum te perdit. Ita non benè conqueritur in Epigrammate sequente de vino aquâ mixto meribibulus

*In cratere meo Thetis est conjuncta Lyæo,
Est Dea juncta Deo, sed quoque major eo:*

C

Nil

*Nil valet hic, vel ea, nisi sint ambo Pharisea,
Ab modo propterea sit Deus absque Dea.*

Commisceri potest vinum nimis generosum vel in magnis crateribus, & sæpius assumendum aquâ, sed eò meliùs minerali v. g. *acidulis Schwalbacensibus Seltensibus* vel *Tönigsteinensibus*, quo citius hæ non tantum nimios vini spiritus castrabunt, sed etiam diuresin promovebunt; Pari modo spiritus vini magis proderit, si castratus vel frusto panis involutus, vel cibus in copia præmissis assumatur, sic enim particulis suis balsamicis Oleoso-spirituosis chylicationem promovet, chylique vappescentiam multos morbos post se tracturam impedit.

§. VIII.

Spiritus vini usus chirurgicus & polychrestus.

Quanti usûs sit spiritus vini in chirurgia, nullus etiam tyro denegabit. Spiritus vini simplex seu camphoratus prima anchora est in sugillationibus & contusionibus, in gangræna & sphacelo, eò quod mortificatio hæc seu *das Absterben der Glieder* fiat propter vasa sanguifera obstructa vel compressa, ut necessaria circulatio hametur, ita ut pars illa hoc vitæ balsamo privetur: Spiritus autem vini volatilibus & oleosis suis particulis seu sale volatili oleoso poros & obstructa vasa penetrat, stagnantem materiam resolvit, majorem motum spiritibus communicat, ita ut rursus rore vini, particulis balsamicis confortati, ut sicut ante

te

te fuit factum, ad sua membra fluant. Injections in
 ulcera sordida & vulnera globo inflictâ, vel ense incif-
 fa ingreditur spiritus vini, qualem in usu habuit *To-*
merck insignis apud Gallos Chirurgus. ℞. Aloës,
 Myrrh. fl. hyperic. aa. ʒβ. Gum. elemi. Gum. ★ci. aa.
 ʒij. croc. ʒj. Camph. ʒj. ʒ. ʒij. M. stent in digest. filt.
 In adustionibus hoc remedio spirituoso extinguitur i-
 gnis, & sympathicè calor attrahit calorem, ut frigus
 in pernionibus: partibus paralyfi correptis, subjectis
 apoplexiâ tactis, hominibus in deliquium animi dela-
 psis externè spiritus iste præsertim dephlegmatifatus
 illinitur: lingua paralytica spiritu vini eluitur, quia
 majorem motum conciliat spiritibus, eisque influxum
 liberum in vias reseratas concedit, præsertim si cum
 pulverisato sinapi fuerit cohobatus. Discutit tumo-
 res, sanguinisque coagulationem impedit; ad paraly-
 sin conficiunt chirurgi egregium linimentum ex spi-
 ritu vini rectificato, pulvere sinapi & baccis Juniperi
 addito sapone veneto. Ubi calore largoque sudore
 discutienda lues Venerea est in balneo laconico vulgò
Schwitz-Kasten/ ibi chirurgi spiritu vini in scutella ac-
 censo, & operculo machinæ clauso talem humorum
 motum concitant, ut totum corpus sudore diffluat.
 Ad visum clarificandum & acuendum sordesque de-
 tergendas multi oculos lavant spiritu vini; Alii ad
 enecandos parvulorum lumbricos spiritum vini cum
 melle & felle taurino coquunt in emplastrum, exte-
 riusque applicant umbilico, & quis omnia enarra-
 ret.

Quo ad polychrestum usum spiritûs vini pro-
 miscium

miscuum non hic prætereundum est, quod belliduces militibus ruituris in hostes generosos potus concedant, ut animosè pugnent, timidis propinant vinum & spiritum vini COS, nam spiritus hic vini in prælia trudit inermes, propellit timidos, sed malè, si tali cote indigeant, ut suam acuant generositatem imbelles animæ. Ulteriùs quando celebrantur sponsalia, aguntur nuptiæ, reconciliantur animi, subscribuntur contractus, *wird der Weyn-Kauff oft mit Brandtwein ausgemacht.* Quando in nativitatem magnatum vulgus effunditur in gaudia, in victoriis miles debacchatur in tripudia, quando exoptatæ tractantur fœdera pacis, aliæque adornantur festivitates, in locis, ubi vinum iste liquor pretiosus uvæ deest, spiritus vinosus istam dulcem ambrosiam supplet, & conviviiis, ne convivia frigeant, ardens spiritus propinatur: imo inter vitra vinoso plena liquore stabiliuntur amicitia, sed sæpe vitreæ, dum concocto spiritu vini manè illa humanitas pereat, vel in ipsa temulentia ex victore gentium *Alexandro* fiat *Ephestionis* & amicorum interemptor: pagina istæ in immensum excurrerent, si omnes spiritûs hujus usus in medium producere mentis essem.

§. IX.

In quibus affectibus Spiritus vini commendandus.

Spiritus vini magnæ utilitatis erit in affectibus ventriculi, in dyspepsia, inflatione, dolore & debilitate ventriculi, maximè conducet in nausea & conatu

natu

natu vomituriendi in- & externe, si lintea in eo vel solo vel aromatibus qualificato intincta regioni ventriculi calidè applicentur: Sic felici cum successu in tormine ventris, in flatibus & borborygmis abdomen fomentatur linteis spiritu vini imbutis, in quo calamus aromaticus, *Cort. Aurant. sem. anis. Carv. Cumin.* macerata fuerunt. Uti in dysenteria & diarrhæa vinum laudatur rubellum, ita & spiritus vini in sordidis his affectibus effectus producit præstantissimos, calorem evanescentem restituit ventriculo, ejusdemque & intestinorum atoniam tollit, tonicum vigorem in illis restaurat, & lubricam alvi laxitatem emendat. Hanc ob causam vulgus sæpe fluxum dysentericum obpeffulat solo haustu ex spiritu vini, oleo olivarum & pulverisata nuce moschata composito, nec non cataplasmate pultaceo ex placentis Norimbergensibus vel Coloniensibus, *nuce moschata, cinamomo* & *maceræ* confecto exterius regioni abdominis applicato. Ulterius vini spiritus illis conducit, qui multa pituita & lento viscidoque, & quandoque acido phlegmate abundant, eò quòd propter abundantiam salis acris & subtilis tam gustu quam olfactu perceptibilis incidat, attenuet, atque resolvat, propter sulphur autem seu particulas oleoso ramosas unà cum salis substantiæ terreo mucilaginosæ immerfas abstergat, & digerat, quæ rationi non solum sunt analogæ, sed & experientiæ satis conformia. Præterea iis prodest, qui colicæ flatulentæ obnoxii, qui cruditatibus à debili calore ortis laborant, qui vertiginosi & paralytici sunt, omnibus his morbis convenit iste liquor; nam propter

C 3 sum-

summam partium tenuitatem viscera penetrat, resol-
vit, attenuat, & vapores discutit. Item confert su-
um in affectibus frigidis & pituitosis pectoris, unde
tot aquæ asthmaticæ cum spiritu vini præparatæ pro-
stant in officinis. Prodest itidem apoplecticis ex pi-
tuita, directè incidendo viscosum phlegma, indirectè
digestionem juvando, cruditates impediendo: prodest
ex eodem principio melancholicis, hypochondriacis,
quibus alias hæc tria præscribi solent, nempe debitus
motus, sufficiens & generosus potus, & civilis conver-
satio, his nihilominus contrariantur amantes solitudi-
nis ac vitæ sedentariæ. Denique uti vinum infigne
analepticum est, si modicè sumatur, spiritus enim a-
nimalis laboribus, vigiliis & inedia exhaustos refo-
cillat, sanguini languenti motum & vigorem restituit,
præsertim in senibus, ita & spiritus vini fluidum ner-
veum instaurat; hinc *Fioravantus* scribit, admiran-
dam atque agonizantibus proficuum etiam fieri com-
positionem, *si quintæ essentiæ vini partibus IV. ꝑ. ꝑris*
& ꝑ. oli. pars I. julep. rosat. pars 6oma addatur. Item *Za-*
pata aurum potabile dicit pauperum, si spiritus vini
cum saccharo in ∇ ros. soluto dulcificatus iis exhibe-
retur.

QVÆSTIO.

An ubi bibitur cerevisia frigida, ut famosa illa
cerevisia Duderstadiana, spiritus vini con-
cedendus vel suadendus?

In popinis quidem & hospitiiis à vini & cerevisiæ helluonibus
laudatur vinum simplex, cerevisia duplex; sed quæstio
hic

hic ventilatur, an si cerevisia ex nitroso aliove principio frigida nimis, sive illa simplex sive duplex, sive sit illa triplex, in usu mensati & conviviali largis & frequentioribus haustibus ex vitris ad circulum mensuratis strenue potetur, an inquam, tunc etiam concedendus foret haustulus unus vel alter spiritus vini? sed quis tam rigidus & abstemius *Cato* esset, qui hoc non concederet? Si scilicet post cibos mensam absolutam remotos haustulus spiritus vini deglutiatur ad digerendas cerevisiae cruditates, ad promptiorem ciborum subinde etiam crudorum & fumo induratorum solutionem, verbo ad chylicationem meliori modo subtilisandam: & quò nobilior & generosior erit materia ex qua spiritus iste sublimatur, eò promptius desideratum effectum præstabit. Sic spiritus vini Ungarici, Rhenani, Francici multò præstantior est aliis vilioris notæ vini spiritibus. Sed tamen non suasor & author essem, ut illum ab usum approbem, quo summo mane stomacho omnibus escis vacuo talis liquor ingurgitatur; sic enim accenditur ignis, qui si cerevisiam superbibitam extinguitur, ab illa nimium refrigeratur ventriculus, ita ut novo spiritu affuso tanquam oleo vini soluto in priorem flammam cerevisiam dein extinguendam nova æterna excitetur, & consequenter in liquidis stratum super stratum affundatur, ex quo continuo bibendi abusu quid aliud sequi necesse est, quam appetitum prostratum, ventriculi atoniam, cachexiam, hydropem, vel totius corporis emaciationem. Salubrius proinde agetur, si, ut jam in §. IV. innuimus, absolutam mensam complicatis mantilibus spiritus vini tantillo panis frusto involutus deglutiatur, quo digestio promovebitur, & chylosus liquor melius exaltabitur.

§. X.

In quibus affectibus Spiritus vini fiat abusus?

Uti

Uti in ortis à phlegmate vel frigore morbis magnam utilitatem affert spirituosus ille liquor pigrum sanguinis circulum promovendo, atque calore suo mirâque tenuitate & permeandi celeritate plurimis affectibus corporis frigidis moderate sumptus medetur, ita in febre maligna, morbillis, variolis, lue ungarica infania, phrenitide, epilepsia, apoplexia sanguinea, epilepsia, podagra in excretionibus sanguineis nimis v. g. Hæmorrhagiis narium, hæmoptysi, hæmorrhoidibus, menstruis nimis, item in inflammationibus, verbo in cunctis affectibus ortis à causa calida spirituosa nocent, in his similibusque malis spiritus vini dulce venenum est, quia sanguinem accendit, motus organicos arietat, spiritibus addit calcaria, & fusque deque stimulat, ut in corporis perniciem ruant, qui freno egent, dum se massæ sanguineæ immiscent, quatenus calore suo volatili sulphur seu particulas oleosas sanguinis intendit, præternaturalem rarefactionem causat, efferatque calorem ad febriles effervescentias, & totius machinæ contabescentiam. In hectica, atrophia huncce liquorem sumere, est materiam lethi bibere; in marasmo colliquativo spiritum vini potare, est mortem suam maturare: Podagrifæ adhucdum dolent, & lamentantur in grabatis suis de excessu spiritûs hujus, & pro grato aciditatis gustu delibato arthritidis pœnam luunt, maluntque se curam lacteam à *Doleo* aliisque Medicinæ proceribus præscriptam præposuisse spirituosis potulentis; si in galaxia seu viâ lacteâ procesissent, non jam vinclis nodisque ligati cum procesibus podagram curantibus domi litigarent,

rent,

rent, & sub iudice medico sententiam mortis audirent.

*Ut venus enervat vires, sic copia vini
Extracti emaciat, debilitatque pedes.*

§. XI.

De morbofis fructibus ex hoc flore vini abusive sumpto colligendis.

Spiritus hic palato quidem blanditur, pro panacea venditur, sed multi experientia edocti sero cum phrygibus sapiunt, quibus sapuit iste liquor: præterquam enim quod moraliter noceat, iras, jurgia & rixas moveat, sic spiritus hujus abusus in foro medico multas excitare solet calamitates, cedere turbas, inflammare viscera: hujus spiritus usu nimio acre acidum nervis infensum cum sanguine ad partes nervosas delatum, arthritidem, contracturas, aliosque dolores producit; ab excessu hujus potulenti appetitus destruitur, fermentum ventriculi invertitur, ejusdem tonus imminuitur, narcosis spiritibus inducitur, bilis extenditur, lymphæ redditur acrior, & depauperatur, rorido nectare exuta alienum inducit statum, vasa lymphatica eroduntur: Unde cachexia, tumor pedum, hydrops? nisi ab immodico spiritus vini usu, qui hepatis ita infestus est, ut etiam lymphæ blandâ & roscidâ humectatione destructâ indurando hepar, & inspissando sanguinem inducat hydropem; unde febres lentæ & hæcticæ? nisi à colliquatione per calorem excessivum hujus liquoris introductâ humoribus, qui in

D

conta-

contabescantiam totius corporis exarescunt, imo ipsos etiam pulmones abliguriunt hujus spiritus iniqui potatores: unde artuum tremores, cordis palpitationes, febres acutæ? nisi ab hoc fluido spirituofo excessive ingurgitato, hic enim spiritus indebite sumptus stimulat massam sanguineam, ut cum impetu ruat in cordis fabricam, in tanta agilitate invadit arterias, ut inde tremant artus, & palpitet integra cordis machina, accendanturquæ febres: unde fit ipse stupor, sopor, ac oblivio rerum in spiritus vini bibulis, nisi a particulis oleoso-sulphureis, hæ irretiunt quascunque menstrui nostri, ipsiusque sanguinis moleculas & compedibus quasi injectis ligant, atq; coërcent usque ad manifestam narcosin, Apoplexia phlegmatica facile ex abusu spiritus vini induci potest, si agitentur humores, viscosa phlegmata parti incuneantur, & naturalis spirituum in nervos influxus prohibeatur. Magnam morborum seriem à tartaro vini deducit *Paracelsus*, in quo acidum sua coagulatione omne tulit punctum, quid etiam aliud ex spiritus vini compedibus tartareis & terrestribus non bene solutis est sperandum? *Sylvius* credit, spiritum vini nocere sua oleositate, præsertim si super aromata oleosa cohobatum est. Ejusdem censuræ & farinæ sunt omnes famosissimi liquores vulgo aquæ vitæ dicti, qui sæpe abusivè sumpti fermentum ventriculi adeo debilitant, ut *Riverius* audeat scribere, famem caninam ab his potenter fuisse sedatam: ventriculo ita debilitato multi crudi humores corpus onerabunt, & obstructions causabunt, præsertim si aqua vel cerevisia frigida ad tollendâ sitim quis se ingurgitet. *Rolfincius*

re-

refert *in methodo medendi p. 144.* rusticum quartanâ confectum spiritu vini largissime ante paroxysmum hausto convulsione super accidente obiisse. Alius visceribus ab hoc spiritu tabefactis incidit in cacochymiam immedicabilem. Multi, acsi aquam stygiam bibissent post excessum hujus spiritus ardentis, ore vomunt flammæ: ubi laudatur oleum caprillum, *Zacutus* commendat ℞ *nucum* ℥j , parem effectum in hac flamma extinguendam præstabunt butyrofa, pingua & oleosa. Et hic omnes effectus in gradu excellentiori producuntur, quo vinum, ex quo spiritus vini alcoholisatur, est generosius, sic vitra & ampullæ hos liquores spirituosos continentés, si in excessivum trahantur in usum, *Pandoræ* pixis sunt, ex qua multorum morborum agmina in ruinam tam elegantis fabricæ effunduntur.

§. XII.

Quibus temperamentis, ætati, sexui, regioni concedendus spiritus vini.

Quemadmodum spiritus vini in temperamento phlegmatico & melancholico desiderata panacea est, sic toxicum est in temperamento cholericò & sanguineo, in prioribus sua volatilitate, & subtili activitate viscosos humores ventriculi, pituitosos infarctus pectoris, tenaces capitis congestiones, contumaces mesenterii obstructions, tollit, resolvit, in fluorem attenuat, & ad ejectionem maturat, tardum in humoribus motum excitat, liquida in naturalem circulum reducit; Cholericì verò & sanguinei oleum flammæ affundunt, si spiritum vini infundunt; uti vinum a-

D 2

cidu-

cidulum v. g. Rhenanum biliosis & pituitosis beneficio tartari multum conducit, an verò spiritus vini ejusdem præstet eundem effectum, defendi potest. Spiritus vini in genere calidos ficosque homines facit contabescere in hecticam, eò quod particulas sanguinis sulphureas nimis exaltet, spiritibus frænum & compagem dissolvat, unde magis liberi & orgastici æstu Vesuviano totum corpus accendunt : quod præstat eò citiùs ac vehementius, quò magis est dephlegmatifatus, particulæque sulphuræ magis exaltatæ & subtilizatæ. Hoc tamen observatione dignum est, quod sicut vinum variè suam energiam exerit secundum varia temperamenta, ita spiritus ejus vires sui patris æmuletur; hos facit iratos, illos stupidos, superbos alios, alios pios, devoteque precantes : Sanguinei rident, currunt, saltant, cholericus loquuntur, cum *Ajace* furunt; phlegmaticos somniculosos reddit, melancholicos tristes & flentes; hinc canit poëta:

*Est qui perfusus vino, lacrymatur, est, qui
Nullum videndi novit habere modum!*

Ratione ætatis, spiritûs hujus usus negatur parvulis, esset enim ignem extinguere igne, esset horum tenella membra cremare, visceraque innocentia hoc urente liquore accendere: à vini spiritus forma perit apud adolescentes & adultos, hoc vinoso succo corrumpitur ætas: Unde enim roseolæ saltantes in facie? efflorescentia cuprea vultûs? pustulosi flosculi? quam ex hoc spirituoso liquido massam sanguineam inflammante: senibus è contra uti vinum ita & spiritus ejus lac dicitur & frigoris remedium unicumque vitæ
&

& valetudinis subsidium, in his natura frigida fit ab hoc lacte calida; sed omnia cum grano salis.

Ratione sexûs, si priscis jam temporibus mulieribus interdictus erat omnis vini usus, potius spiritus vini illis subtrahendus erit: hinc *Egnatius Metellus* uxorem fuste interfecit, quod vinum e dolio bibisset, quid non fecisset, si eam spiritum vini, aquam anisi, Juniperi vel cinamomi ex culullo bibisse deprehendisset.

Ratione officii & conditionis vitæque generis hoc spirituosus potu abstineant nutrices, obstetrices, puerperæ, nec gravidis aqua vitæ mulierum balsamus embryonis promiscue concedi potest præsertim si cum spiritu vini sit abstractus.

Ratione regionis, utique illis sine scrupulo liberior usus concedendus, qui septentrionem inhabitant, & novam Zemblam incolunt, ob frigoris sævientis asperitatem: sed male faciunt, illi, qui ad imitationem Ungarorum, Polonorum, aliorumque similium populorum sibi idem jus concedi putant. Sciant ii, quod qui generosioribus vinis ex consuetudine moreque patriæ assueti sunt, facilius excessum tolerare queant, qui ad mensam spiritum vini ingurgitant, hi similesque vini helluones, meri spongiæ, vinosi pumices magnis ductibus hunc liquorem in gulam in symposiis trahunt, quod aliis minus assuetis facere minime licebit sine præsentissimo vitæ periculo. Unde quilibet hic suam naturam consulat & temperiem, ut eidem discat consulere, quid stomachus perferre queat, quid ferre

D 3

recu-

recuset, dispositio temperamenti, ut alibi in omnibus sic vel maxime hic consideranda.

QVÆSTIO.

Quare in diebus canicularibus, ubi Sirius ardet, spiritus vini sitim citius extinguat, quam aqua frigida?

Cum sitis sit is appetitus, quo liquida desideramus, & proveniat à vellicatione faucium vel exsiccatione ob defectum salivæ & inde ob ortam membranæ in faucibus expansæ ariditatem, illud omne sitim tollet, quod vel comprimendo glandulas salivam exprimit, quod norunt milites in æstate castra sequentes, qui idcirco solidiora concreta lapillos v. g. vel plumbeos globulos in ore volutant, ut lympham exprimant: vel quod serum salivale in glandulis stagnans fluxile reddit, & ciet in motum, ut ex secerniculis suis eò citius & largius profluat, verbo quod lympham restituit, quâ faucium ariditas eluatur: Hæc omnia præstant, quæ subtilibus, acris & salinis particulis instructa glandulas salivales vellicant, fibras nerveas stimulando magnum spirituum motum provocant, ut illi copiosius ad oris & faucium partes influant, succumque lymphaticum sollicitent, nec non ex glandulis salivalibus in palatum detrudant. Unde enim *Cardamom.* *Cubeb.* *Sem.* *Sinap.* *nasturt.* *rad.* *pyreth.* *angelic.* *Fol.* *tabac.* *decoct.* *salviæ* salivam movent? nisi propter particulas acres sulphureas salino volatiles in iisdem ante latentes: quibus moleculis cum constet spiritus vini, quid ni etiam inter ptarmaca & apophlegmatifantia esset annumerandus? hic spiculis suis igneis humorem illum roridum ex apertis vasis salivalibus & lymphaticis prolicet, ut sitis extinguatur. Sic experientia edocemur spiritu vini simplici, vel rad. pyrethri modificato & confortato in ore retento, sive circumvoluto mox ex glandulis salivalibus in
 oris

oris cavitatem multam stillare salivam : econtra ab aqua frigida quidem temporariè tollitur fitis brevi post reditura ; calida magis provocant salivam, quia amicabili calore aperiunt glandulosos tubulos quos frigida constringunt, benè itaque faciunt, qui in summa æstate peregrinantes ampullam spiritu vini quam aquâ plenam ori admovent :

QUÆSTIO.

Qua ratione Spiritus vini inebriet?

Caloris, saporis, inebriationis, seu mentis alienationis & præcipuorum spiritûs vini effectuum causam derivamus à particulis salinis acidis volatilibus : inebriamur, quando vinum vel spiritus vini volatile seu vaporosum suum acidum ex ventriculo ad cerebrum motu circulari dimittit, ubi cum spiritibus animalibus naturæ alcalicæ subtilissimè effervescent, ex quo blando particularum motu & spirituum animalium actione hilaritas largiori vini & spiritûs ejus potui indulgentium probabili ratione demonstrari potest; præcipuè cum constet, tristitiam melancholicorum à solo spirituum animalium ab acido quodam fixiori facta fixatione proficisci. A particulis sulphureo-salinis spiritûs vini spiritus animales tumultuarie agitantur, humoribus motus intestinus inducitur, vapore illo subtili obnubilantur sensus, & vel maxime turbantur omnia, in gyrum vertiginose agitur caput, ubi nervos occupaverint tenues vinosi habitus sensorium commune offuscantes : acidum figit spiritus ad soporem, hinc acidum quo magis tale eò citius inebriat ; salia enim volatilia alcalica \ominus volatil, C, C, & maxime Ω \ominus \star \ominus cum alcolifato sale factus arcent ebrietatem, si ejus aliquot guttæ cum haustu vini ante sumantur, idcirco etiam dicitur de **Gauff-Spiritus**. Hic incidit, quod usurpant ad ebrietatem avertendam Bacchi antistites, qui diu noctuque istis spirituum poculis indulgent, & continua celebrant Baccha-

Baccha-

Bacchanalia. ℞. *Succ. Caulium. rub. granat. + dor. ana ℥ij.*
℥ii ℥j. bulliant simul ad consistentiam fyrupi de quo ℥j.
 mane bibatur ante certamen bibitorium, ut felicius suos
 combibones detriumphet. Huc quoque referendæ *rotu-*
le bibitoria, die *Gauff-Rüchlein Dodonei* quibus ante po-
 tum utuntur, qui largo potu fruuntur, acuunt enim si-
 tim, ut semper bibere necesse sit. Descriptio hæc est.
 ℞. *piper. long. alb. n. ana ℥ß. Zinz. galang. cubeb. cardam. ana*
℥ij. N. Mosch. mac. ana ℥j. cinam caryophil. rad. aron. pimpin.
ana ℥ij. sem. anis. fenic. aneth. carv. petrosel. ana ℥vj Sacchar.
in ▽ carm. Dornc. solut. q. s. fiant rotulæ. Sed cum tales ro-
 tulæ ex meris quasi calidis confectæ sint, cum pace tan-
 ti viri dissuadendæ sunt, non debet fieri malum, ut inde
 bonum apparenrer tale fiat; nam quantas in sanguine
 flammæ & præternaturales languinis effervescentias ex-
 citarent, nemo non videt.

Concludimus ergo cum Poëta Virgilio:

Crateres magnos statuunt, & vina coronant:
Sic quoque nos usum justum de rore falerni
Laude coronamus, tantum damnamus abusum.

F I N I S.



Dant 160